

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Quistorp Johann Daniel Schmid

**Exercitatio De Episcopis, Quatenus sunt, vel Patriarchae, Archiepiscopi vel  
Episcopi nude sic dicti**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741204568>

Druck Freier  Zugang



Ruthoc 2651  
Quistorp, Johanna  
Kst. Schmidt, Johann Daniel



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn741204568/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741204568/phys_0002)

DFG

70

Σὺν Ἰησῷ  
Exercitatio  
*De*  
**E P I S C O P I S,**

Quatenus sunt, vel  
Patriarchæ, Archiepiscopi vel Episcopi  
nude sic dicti,

*Quam*  
In celeberrimâ ad Varnum Academiâ  
*P R A E S I D E*


JOHANNE QUISTORPIO,  
S.S. Theol. D. Prof. P. Eccles. Jacob.  
eiusdemq; Facult. p. t. Decano,  
sustinebit.

publicè  
RESPONDENS  
JOHANNES-DANIEL SCHMIDT.  
Ulmâ. Suevus.

In Auditorio Magno, horis matutinis  
XXIX. Novemb. Anno cœl. L.

• 8(0)80 •

ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.



DE  
EPISCOPIS.

Quatenus sunt vel

Patriarchæ, Archiepiscopi vel  
Episcopi nude sic dicti.

THEISIS I.



Uotquot vivunt homines, aut sunt Christiani aut non Christiani. Christianorum vicissim quosdam Clericos alias Laicos dici, scribit Gratianus decret. can. duo. causa 12. Illi à nomine Græco λαϊς derivati sunt, quod sortem significat, ex eo, quod sint sorte electi, sive extra sortem populorum constituti, ut Divinis incumbant muneribus, & officia sacra in Ecclesia perficienda, operentur. Laici quasi λαϊς populus sive turba hominum, qui omnia temporalia & profana administrare possunt. Clericorum quidam in sacerdotio, quidam in sacris ordinibus, quidam deniq; non in utroq; sed tantum in minoribus ordinibus vivunt. Et eorum qui sunt in sacerdotio, alij sunt in altiori gradu, ut Episcopi, alij in inferiori, nempe omnes infra dignitatem Principalem constituti. Nos hâc vice, de Episcopis agemus, excluso Episcopo Romano & ejus Cardinalibus, quos ante hac contemplavimus, qui alias quoq; ad hunc censum pertinerent.

II. Dicuntur Episcopi quia super populum sibi commissum speculari tenentur. Nam Πρίσιππην Græcis est curam agere, & providere. Unde apud Petrum, ἀλλοτριομίσκομι sunt, qui aliena curant, & quæ nihil ad se attinent. Hujus vocis usus non incepit à Christianis, nam jam apud veteres Romanos usurpari solebat. Cicer. in lib. 7. ad Attic. sic loquitur: vult enim Pompejus me esse, quem tota Campania, & ora maritima habent Episcopum. Græcis Πρίσιππες αγώνων dicebant, certa-

A 2

minum

minum moderatores, qui prospiciebant, ut cuncta recte perficerentur, Atheniensium Θεοτόκη mittebant annuatim ad suos subditos, ut inspicerent, quid apud quosq; ageretur: Erant n. illorum visitatores. Est ergo nomen curæ & sollicitudinis, non potestatis sive imperii.

III. Episcoporum varii sunt gradus. Quidam præsunt Civitati alicui uni, & Viciis eo spectantibus, hi simpliciter Episcopi appellantur. Alij non civitati tantum, sed & provinciæ multas continent sub se, civitates, præsident, hi Archiepiscopi, velut reliquis Episcopis superiores, dicuntur. Et Metropolitanæ vocantur communiter, quia in Metropoli aliqua sive matrice quadam civitate habitant. Alij multis simul provinciis præfecti, & quibus sublunt varijs Episcopi & Archiepiscopi, Primate & Patriarchæ dicti sunt. Et hæc hierarchia est instituta, ut Ecclesiæ unitas melius conservetur; potest enim Episcopus suos citò convocare Clericos, ut horum consilio res Ecclesiasticas administret, & controversias dirimat. Quod etiam æquè Archiepiscopi ut Patriarchæ in gravioribus negotiis efficere commode possunt. Et ex his graduum differentiis Synodorum quoq; dispar oritur ratio, quod quædam sint Civitatum, Provinciarum ac Nationum, quæ annuatim in dicti solebant.

IV. Episcoporum ergo sunt tres ordines, aut enim sunt Patriarchæ, aut Archiepiscopi aut Episcopi simpliciter & Specificè sumpti, juxta Can. Cleros. dist. 27.

V. Quod itaq; Patriarchas, qui primum tripartidi Episcoporum ordinis locum obtinent, conceroit; hi, apud Patres Ecclesiæ summo honore funguntur, & aliorum Episcoporum ac Metropolitanorum Principes & judices erant, unde Throni Apostolici dicti sunt. Hos præter summum Pontificem nemo præcedit, id volentibus ipsis Papistis: adeò ut ante Cardinates sedeant & incedant. decretal. l. 5. Tit. 33. cap. 23. Antiqua. Excepto Cardinali Hostiensi, qui ex speciali privilegio concessio Ecclesiæ Hostiensi, immediate sequitur Papam; atq; ita ubiq; terrarum ante incedentem Patriarcham crux defertur. Dicitur Patriarcha à πατέρι pater & αρχῇ Princeps: quasi Patrum Ecclesiæ Princeps. De dignitatibus & dominis Patriarchalis origine, nulla non habet Berterius in Pithanis cum Joh. Morino in Exercitationibus. Salmasius de Primatu Papæ cap. 4. p. 44. non dubitat, hoc nomen sumptum esse à Judæis, quibus & sui fuere Patriarchæ, ut constat est Legibus Constantini prima & secunda Cod. Theod. de Judæis. Et diu satis hæsit hæc appellatio in Episcopis Metro-

Metropolitanis. Unde & Socrates l. 5. cap. 8. quem nominat Metropolitanum, mox Patriarcham indigitat. Tandem tamen hic terminus saltem certorum quorundam factus, præprimis in Constantinopolitano concilio, ubi tertius hic Episcoporum gradus introductus apparet, ut scilicet Exarchus Provinciæ idem sit cum Metropolitanu, Exarchus diæceses. idem cum Patriarcha, prout usus postea propriè obtinuit. Et sanè temporalis dignitas harum civitatum in causa fuit, quapropter hæ & non aliæ urbes Patriarchales sedes factæ fuerint.

VI. Quatuor autem sunt præcipui Patriarchæ, tanquam repræsentantes IV, Evangelistas, dicto cap. Antiqua. decretal. de privil. & Excess. Prælatorum: nempe Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, ubi non excludendus Romanus, quem saltem ex hoc numero Pontificii arroganter eximunt: cum tamen aliás, & in Constantinopolitano Concilio reliquis accenseatur: ubi singulis Patriarchis certæ Provinciæ attribuuntur, cā lege, ne quis ex alia Provincia in aliam temere invadat; id enim antea durantibus persecutionibus sic crebro contigerat. Hodie verò quia hæc quatuor loca Turcarum Imperio subjacent, creari solent à Papa ex fastu ac proprio ausu Primates, loco Patriarcharum, & maximè in Gallia, qui Pluribus Provinciis præsident. Nam Papæ majestas, hos quasi absorpsit, & in æquali eminentia constitutos admittere nequit, ne habeat alios pares, quia mundus, scilicet, multis soles ferre simul non potest.

VII. Patriarchæ, ut Ecclesiæ ubivis bene sit, curabant, & in re dubiâ invicem Canonicas sive formatas Epistolas communicabant, quam mutuam charitatem hoc modo per quædam tempora conservatam Romanus Patriarcha, cæteros hos aliás pares, præ se contemnens, ex fastu nimio rapit. Interim manent reliqui quatuor adhuc uniti in Oriente. Et cum quis horum fuerit mortuus, Metropolitanus cum reliquis Episcopis congregantur, ut alius in defuncti locum surrogetur. Verum nullus Patriarcha salutatur, nisi prius Metropolitanus fuerit, ut habet Bellonius lib. 1. observat. e. 35. Primatus illorum potissimum in his quatuor consistit: In Episcoporum & Archiepiscoporum ordinandorum confirmatione, ultimata appellatione, conciliorum nationalium iudictione, & censura morum.

VIII. Statum Romani Papæ & Patriarchæ, ut alibi pertractatum, nunc mitto, quod reliquos attinet, sequitur.

IX. Constantinopolitanus Patriarcha; hic cum inauguratur, Turca-  
rum Imperatori Pescesium, & annuum tributum Charatzie, solvere te-  
netur, pro impreando suorum aliquiliter libero religionis exercitio.  
Imo eidem, pro monasteriis sitis in Europæ districtu, ac in monte Atho  
12000, Hungaricos aureos numerat, Adeum Patriarcham spectant Eccle-  
sias Græcæ, Insulæ Cyclades, Natolia, Bulgaria, Moldavia, Walachia,  
Rubra Russia & quotquot in Occidente latitant ejus fortis, Constanti-  
nopolitanum caput Ecclesias esse contendunt. Muscovitas olim quoq;  
huc Spectabant, sed propter distinctum à Turca imperium, & ob am-  
plissimæ locorum intervalla, peculiarem tandem constituerunt Patriar-  
cham. Si Nilo Doxopatrio fides adhibenda, quem sæpe citat Leo Allatius,  
habebit Constantinopolitanus Patriarcha sub se Metropoles, aliis quoq;  
imperantes Episcopatus, LXV. & Archiepiscopatus, destitutos Episco-  
pis, XXXIV. Hic novæ Romæ Patriarcha, non ultimo loco haberet vol-  
luit, sed primum quandoq; expertiit, quia non amplius urbs illa vetus  
Roma dominaretur, quæ causa illi principatum hactenus asseruerat,  
unde & pedem ulterius promovit, ac potestatem Thracie, Ponticæ &  
Asiae Metropolitanos ordinandi sibi sumpsit: confirmationem hujs  
licentia in Chalcædonensi synodo petiit, quæ in can. 28. concurrentem  
huic cum antique Romæ Patriarcha, dignitatem, & Metropolitanos  
ordinandi, potestatem detulit. Sic hæc urbs Byzantina, quæ olim ne qui-  
dem ArchiEpiscopi honorem habebat; sed, ab Heracleæ Metropolitanu-  
Episcopos impetrabat, Patriarchalis facta est. Aliæ hujus Patriar-  
chatus circumstantia, notantur in conciliis Constant. Can. 2. & 3. à So-  
crate l. 5. cap. 8. Theodor. l. 5. c. 9. Sozomene lib. 7. c. 9. Nicephoro Callistio,  
l. 12. c. 13. Johan. Morino in Exercitationibus Eccles. C. Baronio ad An. 381.  
num. 76. & An. 382. num. 19. &c.

X. Alexandrinus Papa & Patriarcha, qui quondam Alexandriæ in  
vertice omnium civitatum, & quandoq; adhuc per æstatem ibi mora-  
tur, plerumq; Alcarii sive Memphis subsistit. Huic subsunt Græcae reli-  
gionis socii per Ægyptum Lybiam & Pentapolim, ut sponat can. VI. syno-  
di Nicæna. Etiam Ethiopibus Abissinis in defuncti Abunnæ locum (qui  
forte Christianismum ab aulico Regis Candaces Act. 8. c. mutuarunt,  
vel beneficio Adad Regis Axamitarum sec. VI. ut vult Georg. Cedrenus)  
ad petitæ Preciosi Johannis, nativitate Alexandrinus, electus à monachis  
sepulturæ Christi, & comprobatus à Papa Alexandino, Metropolitanus  
trans.

transmittitur, cui res Æthiopica Ecclesiæ curæ sit. Eutychius, in originibus  
hujus Alexandrina Ecclesiæ, quas ex Arabico versas & commentario auctas,  
Johannes Seldenus edidit Londini An. 1642. scribit. Anno nono Claudi  
Cæsaris, Marcum Alexandriam venisse, cumq; per urbem incederet,  
corrigea calcei soluta fuisse; quem ut reficeret, ad sutorum Hananiam  
ivisse, qui subula digitum suum ex improviso læsit, unde dolorem in-  
gentem sensit. Submurmuriigitur in Marcum, dixit ei ille, si credi-  
deris in Jesum Christum Filium Dei, digitus tuus sanabitur, quod &  
factum. Baptizatus à Marco, cum quoq; Patriarcham Alexandriae con-  
stituit primum, eq; adjunxit 12. Præbyteros, ex quibus deinceps Patri-  
archæ eligerentur. Et hæc fuit forma hujus Ecclesiæ, ad usq; Alexadrum,  
qui 318. Episcopis Nicæ interfuit. Et is deinceps ab Episcopis creati jussit  
Patriarchas reliquos, ac voluit, ut & ex exteris Episcopis Patriarchæ elige-  
rentur, si esset vir Eximus. Hæc Eutychius, si saltem huic fides habenda.

XI. Patriarchæ Antiocheno, Damasci nunc degenti, subsunt Chri-  
stiani Syriae & accolæ Libani, & ii, qui Barut Tripolim Haleb, & ali-  
cubi Asiam in habitant. Amplior quoq; hujus dioecesis esset, ni Hieru-  
solymitanus extortis Principiis rescriptis, ei tandem abstulisset Phæni-  
ciam, Arabium & Palæstinæ partes. Is cogitur annuatum 15. Augusti, se  
in monasterio Libani montis sistere, ad Liturgiam illuc celebrandam.  
Primus hujus loci post Petrum putatur Evodius Patriarcha. Et huic  
urbi ut antiquissimæ, in qua primo Christianorum nomen auditum fuit,  
hæc prærogativa concedebatur.

XII. Hierosolymitanus Patriarcha, circa Chalcædonensem synodum  
ad Patriarchalem dignitatem verè elevatus, qui alias Cæsareæ Metropoli  
Syriae Palæstinæ, suberat, & ab ejus Metropolitanæ ordinabatur. At  
post ordo planè inversus est, & suum hunc Metropolitanum sibi subje-  
cit, cui fuerat ipse olim subditus. Attendebar enim Christum ibi pas-  
sum & resurrexisse. Christum & Apostolos ibi primum prædicasse.  
Quare Theodoreetus, Hist. Eccles. l. 5. c. 9. Eam omnium Ecclesiærum  
matrem nominat. Verum postponitur reliquis Patriarchis, cum mino-  
ris urbis Episcopus & brevioris diæceos sis Superintendens. Hic Aelias  
Patriarcha, prope sepulchrum Domini habitans, Ecclesiæ Palæstinae &  
Arabiae gubernat, vel potius habet sub se Metropoles, quibus variis  
Episcopi sub sunt, Cæsaream, Basam, Petram, Bostram, & Archiepisco-  
patus nullis Episcopis nobilis XXV. De hoc varia notatu digna-  
tradude-

tradiderunt Carolus à S. Paulo , in Geograph. sacra pag. 310. Baronius An.  
553. num. 245. Morimus in Exercit. Eccles. l. i. cap. 7. Bellarm. de Rom. Pont.  
l. i. c. 24.

XIII. Ex hī pater Leonem Allatium Bibliothecarium Vaticanæ, para-  
sitando Papæ, fraudulenter agere in opere de Ecclesiæ Occidentalis &  
Orientalis perpetua consensione: quando contendit Petrum & non alium  
divisisse Patriarchales tres sedes in Asiam, Africam & Europam, sicut  
Noa cum suis tribus filiis fecerat, & singulis suā jura dedisse. Præsuppo-  
nit inconcessa , & temporis moram justo longorem, ut facile in ipso  
discursu probari poterit, ponit, ex S. scriptura nullum hujus asserti ei  
subsidiū. Plures citat Auctores, quos & recte asterisco notat, qui nun-  
quam sunt typis exscripti , & tamen ex his & similibus procul dubio  
suppositiis scriptis, non hoc solum assertere vult, sed & manifesta testi-  
monia à nostro D. Chyraeo in oratione sua de moderno statu Ecclesiæ Græ-  
cæ citata, in hoc suo opere lib. 3. c. 15. mendacii arguere audet. Ipse vero  
in probatione deficit, ac quod ex probatis auctoribus confirmare de-  
bebat, sine teste refert, vel decreta, Papalia (in propria causa)  
evibrat.

XIV. Præter hos quinq; Patriarchas, aliī Primates proprie dicuntur,  
uti Aquileiensis, Gradendis, Toletanas, Cantuariensis, Bituricensis &  
similes. Fateor quidem hos & alios quandoq;, sed improptie velut mi-  
norum gentium Patriarchas vocari, ut sit ab Imocentio III. tit. 23. cap.  
Antiqua .Durando in Speculo l. i. tit. de dispensat. §. Sunt quoq; & aliis, quos  
auctores copiosè collectos reperies in Eutichij orig. Alexand. Et quomo-  
do Selenciensis Episcopus Patriarcha sit, itidem docer. Etiam Judæis fu-  
isse per Romanum Imperium Primates & Patriarchas, illustres & specta-  
biles dictos, apud multos appareat: Ephiphanium heres. 30. i. 4. apud Theo-  
dos. in cod. l. 16. tit. 7. par ii. Præprimis Samuel Petitus in variis lectionibus  
l. 2. c. 10. & observat: lib. 3. c. 2. horum Judæorum Patriarcharum cata-  
logum exhibet, qui tum saepius in societatem & ordinem coire malve-  
runt, quo diutio esset illorum superstitione, & ad posteros propagari pos-  
set. Et aliquos suos Gubernatores Patriarchas & Primates nominabant,  
ut constat ex Sozomeno l. 5. c. 22. & ex leg. 16. cod. de Judæis & cæliculis.  
Erata autem Patriarcharum horum summa dignitas. Tempore Constan-  
tini eam obtinuit dignitatem quidam juvenis Ellei. Horum Patriarcha-  
rum officium erat præesse Synodiis sive Consistoriis Judæorum, & con-  
trover-

controverbias de lege cognoscere, judicare, & primitias ex aliis Provinciis colligere per suos collegas, Apostolos dictos: uti ejusmodi ex Epiphani. T. 2. l. 1. hæref. 30. & leg. cit. codicu, excerptere Cent. Magdeb. Cent. IV. c. 15. pag. 1469.

XV. Archiepiscopi dicuntur, qui pluribus diœcesisbus seu pluribus Episcopis præsunt, quæ diœceses simul junctæ, Provincia dicuntur. Hi cognoscunt (ut moris adhuc estiater Papistas) de causis suorum Episcoporum sua Provincia, nisi agatur de deponendo Episcopo; hæc enim depositio à Papâ nunc fieri debet cap. si quis Episc. de Accusationibus apud Gregorium. De causis autem Clericorum sive Provincia, & qui non sunt ex Diœcesi ipsius Episcopi, cognoscit solus Episcopus, non vero Archiepiscopus, nisi in casu appellationis cap. Romanae. de Appellationibus, apud Gregorium: aut nisi in casu quo Episcopus ipse esse negligens in reddendo jure, in causis Clericorum sive Diœcessios. Quod Occidentale attinet imperium, postquam illud in Provincias divisum est, in cuiuslibet Metropoli peculiaris Metropolitanus constitutus fuit, unde & Metropolitanus Germania primæ Moguntinus, secundæ Agryppinus, Belgicæ primæ Trevirensis, Bisantinus Sequanorum Provincia Metropolitanus constitutes est. Et ideo hoc usq; hæ urbes præ ceteris excellunt, & eorum Episcopi jam Archiepiscopi dicuntur. Archiepiscopi sane olim fuere, quod sunt Generalissimi Superintendentes, quamvis tum diœceses erant majores, numerus vero Christianorum minor. Et initio, Germania habuit Archiepiscopos Moguntinensem, Colonensem, Trevirensem, Magdeburgensem, Salisburgensem, Hamburgensem & Rigensem: quibus singulis sui suberant Episcopi ab his consecrati, à populo vero electi. Nunc vero quidam Archiepiscopatus, dum non amplius Pontificiorum sunt, ex tali ordine clericali, per nuperam Pacificationem, exiverunt. Eligebantur quondam sub Papatu per Pallij missionem, quod erat ornamentum, assumptum ex Altari, in quo repositum est corpus sancti Petri, Pastorali dignitatis plenitudinem denotans capite. significasti. de autoritate & usu Pallij, apud Gregorium. Est autem consecratum ex pelle tenuissima, agni albi coloris, & recenter nati, (sunt enim Episcopi, agnum deperditum querentes) & in formam vestis brevis in modum circuli coactatum, adeo ut ultra humeros non protendatur, in eaq; reperiuntur contextæ quatuor cruces, una ante pectus, alia retro, alia in brachio dextro, alia in sinistro, quæ ex communis Ca-

monistarum' consensu denotant quatuor virtutes Cardinales, quibus e-  
lucere tenentur Prælati, nempe Prudentiam, Justitiam, Temperantiam  
& Fortitudinem. Et quia istud vestimentum ex pelle agnicii conficitur,  
inde benedicitur ut plurimum à Papa. Confertur autem à Papz Patri-  
archis & ArchiEpiscopis, non verò Episcopis; eò autem uti possunt  
Patriarchæ in sua natione & ArchiEpiscopi in sua Provincia, non tamen  
quibuscumq; diebus, nec quoecunq; loco suæ Provinciæ, sed tantum  
diebus solemnibus, nempe Nativitatis Christi, vel Johannis Baptista,  
Die Pentecostes & Paschatos, & diebus Virgini Matri dicatis, & eo tan-  
tum tempore quo Missa celebratur in Ecclesia Metropolitana, adeò ut  
extra Ecclesiam Metropolitanam eam deferre non possit ArchiEpisco-  
pus. Papa autem eo utitur, quoecunq; tempore & ubiq; locorum cap. ex  
zuarum, & cap. ad honorem, eodem Titulo. De author. & usu pallij apud Gre-  
gorium. Autor pallij fuit Marcus Papa, qui primus illud ad Hostiensem  
Episcopum miserit, una cum consecrandi Summi Pontificis privilegio,  
sialtem fide certa subsisteret liber de Rom. Pontif. in Marco I, vel juxta  
decreturn donationis Constant. à Constantino M. cœpisse putatur.  
Quæ vanitates certe nullum alium habent usum, quam ut Papale æras  
tum nunc nūmis repleant.

X VI. Episcopi simpliciter sumpti, dicuntur qui pluribus civitatibus  
præsunt in Spirituahibus. can. Illud, distinc. 80. & can. prov. distinc. 89.  
Certas diœceses non habuerunt ante An. 268 ubi Dionysius primus  
circa tales distributionem fuit sollicitus, donec certa dispositio hujus  
in Nicenæ I. synodo facta est. Hi sub initium Ecclesiæ N.T. ab Aposto-  
lis ipsis & Apostolicis viris hinc inde constituti sunt; In V. Test. Clerici  
carnali propagatione constituebantur: sed Christus, sicut libera electio-  
ne primos suos ministros sive Apostolos Ecclesiæ præfecit, ita electione  
propagationem successorum fieri quoq; oportere voluit. Apostoli acce-  
ptâ cādem potestate, dum alios ad regendas Ecclesiæ mittebant, eos ad  
Episcopatum evehebant; unica personali dignitate excepta, quod essent  
à Christo immediate vocati & missi ad Evangelizandum, ac testes occu-  
lati vitæ & Resurrectionis Christi, doctrinæ infallibilitate & linguarum  
dono celeriter instructi &c. in reliquis Episcopi his erant æquales: Ut  
enim Apostoli potestate æquali curam gerebant, ita Episcopi regunt  
Ecclesiæ suas, sicut cum plena potestate. Et sicut quisq; Apostolus  
plene

plene erat Episcopus, A. I. 20. & independenter unus ab alio, aequaliter sub Christo; ita & Episcopus, quo tendit Hieron. Epist. 13. his verbis; Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos & Apostolicos viros: quorum honorem possidentes habere nuntiantur & meritum, sunt enim Episcopi Apostolorum successores; verum non in quantum Apostoli, sed in quantum erant Episcopi. Post cum jam Christianorum sive conversorum magnus numerus ubivis factus esset, consentiente & suffragante Clero, deinceps eligebantur Episcopi plures. Nam nullus juxta Antiochenum Concilium, invitis ingerebatur. Et Theodoreus lib. 4. c. 16, quem refert, Petrum ab Athanasio successorem nominatum, mox addit, sacerdotalem ordinem ratum id habuisse, Magistrum & primores, populumq; universum sua acclamacione approbasse. Quo etiam tendit Leonis IX. constitutio in Rhemensi concilio, electionem à Clero & Populo fieri oportere, ut commemorat Baronius T. XI. An. 1049. Sed cum haud facile tot capita plebeorum in unum redigi possint, tandem incepere Clerici juxta cum Magistratu, Populo commendare & representare futurū Episcopum. Et hic eligendi modus satis diu duravit in Ecclesia; immo quod notari est dignus, vix anni sexcenti sunt elapsi, ex quo Nicolaus Papa, de Romani Episcopi electione, hunc in modum statuit, ut praesarent Cardinales Episcopi, dein reliquum Clerum sibi adiungerent, postremo Plebis consensu electio firma esset, juxta decreti dist. 23. c. in nomine. Unde & ipsi Pontifices Romani, quoquot illam sedem à Leone VIII. ad usq; Gregorium VII. tenuerunt, à Clero ac populo electi, & à Cæsare confirmati sunt, ut testatur Crantius in Metrop. l. 3. c. 33. & Onuphrius in vita Gregor. VII. Verum ut dicam quod res est, puto illos fuisse semper Episcoporum electores, quibus competit jus Patronatus, id est, qui fundarunt, dotarunt, ditarunt & redicarunt Ecclesiam, cum id primo durante persecutione, solum populus faceret, & ex eorum largis Oblationibus solum Clerici viverent; quoq; soli Episcopos constituerunt. Cum tandem & Cæsares Christiani essent & Ecclesiarum curam haberent, simul ad novos Episcopos constituvendos requisiti sunt. Francorum vero aetate cum pleraq; à Rege obtinerent Episcopi, ab eo etiam illos constitui moris erat. Et hic modus plerumq; adhuc in nostris observatur Ecclesiis. Alter autem sit inter Papileguas, ibi solum Clericorum electionem sibi inique vendit.

B 2

Papa

Papa. Et Bellarm. de Rom. Pont. l. i. c. 9. & l. 4. c. 25. Denegat successio-  
nem Apostolis omnibus, & Episcopos soli Petro ordinari succedere.  
contendit. Cum tamen omnes Apostoli Petro fuerint æquales; Ad  
singulos enim hæc spectant Christi Joh. 20. Sicut misit me Pater, ita &  
ego mitto vos. Et habuit æque S. Paulus in Corinthiaca, Galatarum,  
Philippensem, Ecclesiæ, successiones Episcopales, & Johannes in VII.  
Ecclesiæ Apoc. 2. 3, commemoratis, successione continua Episcopos,  
sicut ubi primo Petrus Episcopes constituisse putatur. Ergo errat Bel-  
larminus. Tamen Hildebrandus jus omne investituræ, Principum ma-  
nibus excutere conatus est, conditis decretis, quibus id Henrico I V. &  
suis successoribus denegavit. Sic extranei Episcopi propè ubivis per-  
provisiones Papales constituuntur. In Gallia, ubi Episcopi non fruun-  
tur potentia Principum, & nullas habent certas sibi subjectas provincias,  
observabatur ratio electionis juxta Basiliensis Concilii decreta, quæ  
pragmatica sanctione consecrarentur, donec transigente Francisco cum  
Leone X. statutum est, ut in posterum Rex Galliæ haberet jus præsen-  
tandi Episcopos, confirmatio autem esset penes Papam. Sed miserabi-  
lior ratio fuit Germaniæ nostræ ante reformationem, & ubi adhuc  
Papismus vigeret. Nam per astuciam Aeneæ Sylvii & socordiam Friede-  
rici tertii factum est, ut parum valerent Basiliensia decreta: Ne vero  
Papa ob id omnium odia in se derivaret, in gratiam Canonorum, An-  
no 1447. Concordata Nationis Germanicæ sancta, quæ adhuc sunt  
instar legis publicæ; & ibi totus Annus per vices, in Papales ac Cano-  
nicos Menses partitur, quod si Clericus moriatur in Papali mense, Papa,  
si in Canonico, Capitulares, novum surrogent: Cæfari, non nisi pri-  
mariaæ preces, quæ sæpe non attenduntur, relictæ sunt. Sic sane vo-  
cationem Episcoporum mediatam, denegant Magistrati ac Populo,  
& omnem eligendi potestatem Pontifici suoq; Clero relinquunt. Bel-  
larm. l. i. de Cleric. c. 49. & Concil. Trident. de Sacram. Ordin. cap. 4.  
Cum tamen id quod omnes attinet, ab omnibus debeat curari. Etta-  
lem totius Ecclesiæ consensum requisivere Apostoli, illi enim per suf-  
fragia creabant in singulis Ecclesiis Presbyteros. Act. 14. 23. 2. Cor. c. 8,  
19. Sic & Diaconi constituebantur Act. 6. 3. Et quid aliud sibi vult Pau-  
lus 1. Cor. 16. 3. 1. Tim. 3. 7. c. 5, 22. quam quod ad Clericorum designa-  
tionem ordinarie totius Ecclesiæ assensus exposcatur. Concedo quidem

im

in electione Clericorum, jus habere Ecclesiasticos, quorum in primis  
est ferre sententias de donis ministro necessariis, jus tamen quoque suum  
hic possidet tam Magistratus quam populus Christianus; quod Salo-  
mon suo confirmavit exemplo 1. Reg. 2, 35. Josaphat 2. Par. 17, 7. Eze-  
chias, 2. Par. 29, 5. His sunt custodes utriusque tabulae, hi & similes, identi-  
dem cultum pravum profligarunt, & falsos Doctores removerunt.  
Non ita est, ministrum sibi simpliciter sumere Domini partes; sed  
firmum manet, consistere vocationis modum in Clericalium iudicio,  
populi suffragio, & denique Magistratus confirmatione. Ni singula-  
ris Ecclesiae ratio hic vel alibi extraordinarium quid exposcatur.

XVII. Episcopus creatus antequam Episcopalem exerceat cur-  
ram, consecrandus est. Et intra 3. menses à die approbationis consecra-  
tionem petere tenetur, Can. Quoniam. 2. distinct. 75. Interea menses poste-  
riores, si consecrationem sponte neglexerit, ipso jure privatur Episco-  
patu: consecrari autem debet Episcopus in Ecclesia Metropolitana Pro-  
vincie sui Archiepiscopi, ipseque Archiepiscopus, quantum fieri potest,  
adesse debet, una cum tribus ejusdem Provinciae Episcopis; quod si  
ipsem Archiepiscopum consecrandus sit, tunc Ecclesia Metropolitana,  
ab omnibus suis Provinciis Episcopis consecrandus erit, cap. si Archi-  
Episcopus. De temporibus ordinationum, apud Gregorium: quae omnia quoque  
reperuntur in Concilio Tridentino sess. 25. c. 2. Forma autem sub qua  
Episcopus consecratur, desumpta ex Concilio Chartaginem IV. can. 2.  
cui ipse Augustinus interfuit, de quo in Canone Episcopi. dist. 23. Ungitur  
autem à tribus Episcopis sacro chrismate, & in manibus semper li-  
brum tenere cogitur &c. Ad has ceremonias magis attendunt Papistæ,  
quam ad alia utiliora; si saltem hi ritus se decenter habeant, parum sunt  
solliciti de reliquo. Examen ut habeatur de doctrina nimis obsoletum  
est. Quod si quis haberetur doctrinæ respectus, non milites, Juriscon-  
sultos mox in Clericos transformarent. Andreas Carolstadius jam  
octo annorum Doctor erat, cum ad scripturarum lectionem accederet,  
& tamen eum circa An. 1510. in Schola Witebergensi pro Licentia dispu-  
tasset, Actis Academiarum insertum est hoc elogium, quod fuerit sufficien-  
tissimus. Et multi Sorboni agnoscabant, imè jurabant per Dicem, se  
plus quam 50. Annos habuisse, quod nesciebant, quid esset Nov. testa-  
mentum, quæ ipsorum formalia referunt Rob. Stephanus. Hæc ferè con-  
cordant;

cordant cum illo; quod testatur *Vives in Augustinum*. de C. D. I. 2. c. 21.  
Remigium scripturæ latinæ interpretem nescivisse, quo idiomate  
Paulus Epistolas suas scripsiterit. Hæc adhuc modernæ Papisticæ Ecclesiæ  
ratio est. Si censum de motibus institueremus, admodum paucos re-  
periemus, quos non ad Ecclesiasticam functionem indignos judicent  
veterissimi Canones. Ex Papæ concessione, pueros vix decennesimo vix  
bimulos in Episcopos creant, quos Postulatos Episcoporum vocant. Hi  
sic postulati, ex singulari consensu Pontificis confirmantur. Eligunt  
scortatores, ebriosos, aleatores, venationibus & aucupiis deditos, in  
Episcopos. Non attendunt amplius ad Canones antiquorum Concilio-  
rum, illi manent in chartis sepulti, ad S. Pauli notas Episcopales vix  
respiciunt, qui alibi & potissimum 1. Tim. c. 3. contendit, Episcopum.  
*Irreprehensibilem esse oportere, qui usq; adeò vita inculpatâ sit prædictus,*  
ut nullo jure taxari possit. Et porrò per partes exponit, quomodo  
Episcopi fiant tales, si necpe sint unius uxoris Mariti: i.e. casti & conju-  
gali pudicitia dediti, à fornicatione abstinentes, sanctumq; connubium  
recommendantes aliis: Vigilantes, qui quoquo versus, oculos vigiles  
circumvagendo, hostes quoscunq; observent, ne periclitetur gregis  
Dominica salus. Sobry, non mente prava, pravisq; opinionibus repleti,  
Modesti compositi & bene morati, decenter vestiti, ne quid in ipsis  
hæreat incultum, hypocriticum, nihilq; luxuriosum s. profanum.  
Hospitales, Peregrinorum fautores, ac erga quosvis humani ac libera-  
les, Abrahami & Lothi ad exemplum. Apti ad docendum h. e. Sunt  
dociles qui sciant, quid, quibus, quomodo & quatenus quælibet sint  
proponenda. Non vinolenti, vinum enim nimis ingurgitatum, Demen-  
tat & pervertit sensum, ne homo amplius suum faciat officium. Non  
Percussores qui sæva & improba lingua, odio non amore res suas effi-  
cient. Non turpis lucri cupidi, quod sit ab iis, qui cum religionis detri-  
mento munera arripiunt, & in honestis rebus nummos querunt: &c.  
Proh quam hinc recedunt Romanensium moderni Episcopi, quasi  
vero hæc requisita ad eos non spectarent; apud hos extincta lux mundi,  
quam Dominus requirit Matt. 5, 14. ubi sal terræ? Nullus ordo mortali-  
um magis infamis luxu, delitiis & libidinibus: hi ad docendum sunt  
solertissimi & audaces; avari ac fastuosi; sane si juxta veteres Canones,  
de modernis Episcopis sententia ferenda esset, prope cuncti essent ex  
communicandi ac eradendi.

XVIII. Man-

XVIII. Mantisæ loco, anneximus intricatam quæstionem, de  
discrimine Episcoporum & Presbyterorum; Episcopos scilicet jure divino  
Presbyteris superiores esse. Nec est hæc controversia de nihilo, in Anglia  
agitata fuit, ad extremum usq; quod nunc apparet, Regni exitium.  
Et ab utraq; parte argumenta sic satis probabilia urgentur. Episcopatum  
& Presbyterum pro eodem habent, Thomas Aquinas, Albertus,  
Alensis, Richardus, Bonaventura, Dominicus Sotus ac multi eruditiorum  
hujus seculi. Alter senserunt Episcopi Anglicani, Marc. Aut. de  
Dominis &c. suffulti non auctoritate Concilii Trident. sess. 24. can. 7.  
nec Bellarm. l. i. de Cler. c. 14. Sed variis rationibus. Sicut enim Christus  
ministros duplicis ordinis constituit, eodem quoque modo ordinarunt  
Apostoli Episcopos, qui Apostolorum locum tenerent, & Presbyteros,  
qui sunt loco LXX. discipulorum, ut sonat Epist. 5. Damasi. Et sicut  
intererat aliquid inter Apostolos & discipulos, si nimis conferatur locus  
Matt. 10. 7. cum Luc. 10. 3. Ita & discrepant aliqualiter Episcopi à Pres-  
byteris. Nam Apostoli Presbyteris, non minus quam Episcopis maxi-  
mam partem munieris, & Apostoli Ministerii commiserunt; & que enim  
illi quam hi plenam Evangelizandi & sacramenta ministrandi potesta-  
tem habuerunt: quoad E. ministerium, nulla est inter utrumque essentia-  
lis distinctio. At verò in Ecclesiæ regimine, confirmatione baptizato-  
rum, Ministrorum ordinati: Sp. Sancti traditione, Episcopi Apostolorum  
pleni successores, Presbyteris erant superiores, ut talibus, qui his desti-  
tuebantur. Et hoc nobiscum Hieronymus statuit, sibi alias haud con-  
stans is, quid facit, inquit, Epist. 85. ad Evag. Episcopus, excepta ordina-  
tione, quod Presbyter non faciat? Et sic omnes Episcopi sunt etiam  
Presbyteri. Hæc quoque parva discrepancia, non admittebat, ut accurate  
titulis Episcopali bus & Presbyterali bus ubivis in Scriptura notarentur  
& secernerentur. Unde & Episcopis quandoque in Script. Diaconi nomens  
Apostolis Discipulorum tribuitur, saltem propter aliquam convenien-  
tiam, & tamen hi non sunt iidem. Episcopos jam primitus ordine pio-  
res fuisse Presbyteris patet, quia Irenæus testatur; Apostolos fundasse  
& instruxisse Romanam Ecclesiam, & Episcopatum administrandæ Eccle-  
sia tradidisse Lino, & ab Apostolis nempe Johanne Polycarpum con-  
stitutum esse Episcopum, ait Tertull. cont. Marcionem l. 4. p. 227. Titum  
Cretensem Episcopum fuisse scribunt. Et Eusebius, l. 3. c. 4. contendit:

Timo.

Timotheum primum Episcopum Ephesiæ Parochia fuisse, sicut & Titus Cretensem Ecclesiarum. Chrysostomus super I. Tim. 6. dicit. Timotheo fuisse concreditam Ephesiæ Ecclesiam, immo fere totam gentem Asiaticam. Patet hinc falsissime dici, gradum & officium pii Episcopi, sic pugnare cum verbo Dei, sicut Polygamia; Ad quid enim, horum Episcoporum, hi gravissimi Auctores solam meminissent si hi pares reliqui Ecclesiasticis ejusdem diaconios fuissent. Et sane frustraneū foret catalogum Episcoporum ab Apostolorum tempore necesse velle, certarum Ecclesiarum, si Presbyteri cum Episcopo ejusdem Ecclesie essent plane iidem? Patet ex hac historica annotatione discrimen gradus in Episcopos & Presbyteros esse ordinationem Apostolicam congruentem ad clara dicta, Pauli Tit. 1. Te reliqui in Creta ut constitutas oppidatim Presbyteros I. Tim. c. 6. Nemini cito manus impone. Et adversus presbyterium non recipe cito accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus. Item 2. Tim. 2. ministerium commoda fidibus viris. 2. Episcopus jam tum Ecclesiæ ut nunc præfuisse, patet ex Apocal. c. 1. 2. 3, ubi S. Johannes ad Angelos. i. e. Episcopos, singularium Ecclesiarum Prophetias destinavit. 3. Quia ipsi Apostoli mox constituerunt Diaconos, qui quidem simul prædicarunt Evangelium, gradu tamen officii fuerunt distincti, à Tito, Timotheo, Barnaba & aliis. 4. Paulus Rom. 12. gubernatores Ecclesiæ clare discernit à Prophetis Doctoribus & Diaconis, quos gubernatores in Ecclesia Lutherus in Postill. Ecclesiastica Dom. 2. Post. Epiph. expresse interpretatur de piis Episcopis Ecclesiæ, quos hodie Superintendentes vocamus. 5. Paulus in Creta mandat non promiseae omnibus Presbyteris, sed solum Tito, ut passim per oppida constituant Presbyteros & quæ deessent in Ecclesia corrigit. Discrimen igitur inter Titum & alios Ecclesiæ Doctores quotquot ibi fuerunt esse oportere, sive si presbyteri sive Episcopi dicti sunt. Et idem patet ex illis quæ Timotheo, circa Ephesiæ Ecclesiam currandam, in mandatis data sunt, discriminis inter ordinatorem & ordinandos, inter reos & iudicem esse oportere. 6. Quod ipsi denique Apolloni ex orientibus dissidiis, in remedium Schismatis constituerint Episcopos Ecclesiæ, unum super plures Presbyteros, Jacobum & Simonem Cleophæ, Hieosolymis. Unde & Jacobus Act. 15. velut Episcopus primus, dedit in syngdo ultimam decisionem, & Antiochiae Evidium & post

sum.

eum Ignatium, tenuis est Eusebius l. 3. c. n. Sic Romæ ab Apostolis constituti sunt Linus, Clemens, juxta Irenæum, Tertullianum & ipsum Hieronymum in Catalogo. Hieron. in Epist. 85. ad Evag. scribit: à Marci temporibus Alexandriæ in more fuisse, ut Presbyteri illius Ecclesiæ, uouum ex se electum sibi præficerent, quem Episcopum nominabant. Et passim patres præcipuarum Ecclesiæ primos Episcopos immediate ipsis Apostolis subnectunt. Ex his liquet, semper Ecclesiam Christi à suis primordiis, per Episcopos esse gubernatam. 7. Hi & alij S. Patres uno ore distinguunt Ecclesiæ Episcopos à reliquis Presbyteris jam ab initio Ecclesiæ N. T. nominantes hos tres gradus, ut differentes ab invicem Episcopos, Presbyteros, Diaconos. Nec vere contrarium Exemplum in antiquitate ostendi potest (ut patet ex multis testimoniosis primæ Antiquitatis, diligenter collectis à Marc. Ant. D. Dominiis de Republ. Eccles. l. 2. c. 3 à s. 13. ad 19.) Nec ab his nostris dictis recedit Lutherus in scripto ad Bohemos, & ubi contra Regem Angliæ calamam stringit. Hieronymus sane, cū presbyter tantum esset, offensus haud dubie Episcoporum quorundam luxu & arrogancia & quem Epist. 60. & 61. Johannes Hierosolymitanus nonnihil suo nimio fastu commoverat (nam monasticam vitam Hieronymo pergratam, Episcopi inturbabant, dum monachos ad sua servitia trahabant) primus Episcoporum ac Presbyterorum differentiam alicubi in suis scriptis impugnavit. Et quidem Propterea, quod Paulus Act. 20. 28. Omnes Ephesinos Episcopos nominat Presbyteros. Et ad Tit. c. 1. Presbyteros dictos, paulo post etiam Episcopos dicit. Hinc concludit Hieronymus in Epistola ad Evagrium & super. cap. 1. ad Tit. Episcopos plus consuetudine, quam dispositionis divinæ veritate, Presbyteris superiores esse. Fatalem quidem tempore Christi, dum in terris prædicavit ipse Evangelium, & non statim post ascensionem, discrimen inter Episcopum ac Presbyterum fuisse, sed docentes in Ecclesiis promiscue Doctores, Pastores & Episcopos appellatos esse; quæ tamen differentia paulo post ab ipsis Apostolis constituta, ut ex prius dictis patet. Et hinc patet mansisse morem Apostolorum in Ecclesia, quod postea quoq; cum jam Episcopi constitui cœpissent, Presbyteri sæpe tamen appellati sint Episcopi; quemadmodum Paulus omnes Presbyteros Ephesinos & Philippienses vel per charitatem vel per consuetudinem hanc nominat Episcopos, sicut & Epaphroditon Phil. 2. Et Andronicum & Juniam

C

Rom.

Rom. 16. Apostolos nominaat. Unde & Theodoretus ait, in 1. Tim. 3.  
Episcopi & Presbyteri, idem nomen, sed non res. Quia & in maxima  
munerum parte, quæ ad hos ordines spectabant, conveniebant. Ex  
tempore, quo hæc distinctio vere facta sit, commode quoq; præsens  
deciditur controversia. Socrates l. 6. c. 8. cum Hieronymo, ad An. 21.  
post ascensionem Christi hæc referunt, cum triste dissidium in Antio-  
chena Ecclesia & apud Corinthios exortum erat; Et ideo in remedium  
Schismatis Evidium Antiochiae primus Episcopum constitutum fuisse,  
& Alexandriæ post mortem Marci capisse constitui Episcopos, memi-  
nit Hieron. ad Evagrium, sc. anno 60 ante Petri & Pauli mortem.  
Hæc annorum series ad Pauli acta recte relata, convincit Epi-  
stolas Pauli ad Corinthios & Romanos, in quibus gubernationes  
de aliis donis in Ecclesia discernit, gubernatores à Prophetis, Doctoribus  
& Diaconis distinguit. Similiter Epistolas ejus ad Timotheum & Titum,  
amplius decennio post dissidium Antiochiae exortum. Imo etiam post  
Schisma Corinthi motum, scriptas esse. Hinc sequitur dicta Pauli, de  
gubernatoribus Ecclesia & de officio p̄i Episcopi, ad discrimen gradus  
inter pios Episcopos & Presbyteros alios congruere. vid. citatum Ar-  
chiEpiscopum Spalatinum l. 2. c. 3. §. 45. Quando vero quidam nostra-  
rium Hieronymum auctorem habent; Id faciunt propter Papistas qui  
omnem potestatem ministros Evangelij constituendi ad suos Episcopos  
præcise trahere volunt, & ordinationem apud nos in Ecclesia factam  
improbant, quasi in jure divino non habeat fundamentum; unde &  
infallibiliter promanare, Ecclesiæ nostræ non habere jus ordinandi  
ministros verbi, & ordinatos in Ecclesiæ Protestantium, non esse veros  
ministros Christi, nostrorumq; ministerium esse irritum. Cum igitur  
Tyrannice Ecclesiæ nostræ ordinationem denegabant, ne destituere-  
mur viris Ecclesiasticis, necesse fuit Papistarum insolentia respondere  
iisdemq; ostendere, Ecclesiam quoq; jus vocandi & ordinandi mini-  
stros Evangelii habere; quod firmiter Lutherus probavit in peculiari  
scripto, quod reperitur in T. 2. Wittebergeni, pag. 404. Unde nunc  
patet quando nostri Doctores, usi sunt argumento Hieronymi in Epist.  
ad Evagr. loqui eos in primis de casu necessitatis, respectu Papisticorum  
Episcoporum, qui tanquam hostes Evangelii, ordinationem nostris in-  
vidiose denegarunt, nolentes ordinare nostros, nisi abjurarent  
doctrinam Evangelii.

T A N T U M.

Allatio

## Allusio ad nomen Fabri.

**A**cmon, acmootheton, Fabri sunt organa; follis;  
Malleus, ustrina: His post nudus membra Pyrac-  
titur. Elatis manibus durissima frangit, (mon  
Stricturæq; micant, quando colliditur ensis.  
Brontes & Steropes festinant, ferrea pangunt  
Vulcani socij, ne&t it thoraca Pyracmon.  
Hic Faber Ulmensis, SCHMIDII præclara propago  
(Cujus avus summus fuit olim præco VIETOR)  
Doctrinâ, ingenio cathedram concendere gestit.  
Acmon, ingenium, acmootheton doctrina resolvens  
Et dubios casus, perplexaq; verba Sophistæ:  
Malleus & follis, resolutæ præmia linguae;  
Conventusq; frequens, Ustrina, parataq; sensa.  
His fultus, sancti describit Præsulis ortum,  
Differit è cathedra docto quid EPISCOPUS ore.  
Non vanum curat titulum. Speculator in urbe,  
Sit pius & castas, liberalis, sordibus uti  
Nescius; haudquaquam vapidò sub pectore vulpem,  
Gestans, quod summæ virtuti ducitur ullis,  
Dicere, non facere, & promittere multa decorum est,  
Quid verus Præsul, summo præeunte Magistro  
Ponis, & ad vitam revocas hæc jura Ministri;  
Hac sine quid Doctor, quid Episcopus, atq; Minister?  
Nil quicquam. Sanctos Sanctissima vita coronat,  
His studijs pergas, nomen, famamq; merebis,  
Primaq; Suevorum dicēris gloria gentis.

1. Tim. 3.  
v. 2. 3. 4. 5.  
6. 7. tit. c.  
de Episc.  
& Cler.  
Nov. 123.

*Quā Consalino Suavissimo disputanti  
de Episcopis assurgere voluit*

**Christianus Woldenbergius,**

Crempâ Holsatus Phil. Mag.  
& J. U. Licentiatus.

**Aliud**

Aliud ejusdem.

SCHMIDIUS ad Varnum quid EPISCOPUS  
arte probavit,

Ulma sit tandem Praeful in urbe precor.

Gaudia Cognati capiant & Samulocenses,

Ilarus, & Blavus, Danubiusq; simul.

His te dimidium cordis dimitto, memor sis

Consulis & mensa, colloquiiq; Vale.

Ad Præstantiss. Dn. Respondentem  
& Commensalem.

Differis, atq; theses summo de Praefule ponis.

Quid Superintendens rite probare cupis.

Hoc ipso magnum præfas, mi Jane; sciendum

Est etenim quantum Praefulis officium

Theologia lumen. Q U I S T O R P I U S illud  
adumbrat;

Ille prait, sequere, & Praeful in urbe clues:

Johannes Koch.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn741204568/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741204568/phys_0023)

DFG




## Allusio ad nomen Fa

Aemon, acmotheton, Fabri sunt o  
Malleus, ustrina: His post nudus  
Utitur. Elatis manibus durissima frang  
Stricturæq; micant, quando colliditur  
Brontes & Steropes festinant, ferrea p  
Vulcani socij, nectit thoraca Pyracmo  
Hic Faber Ullmensis, SCHMID II pr  
(Cujus avus summus fuit olim præco V  
Doctrinâ, ingenio cathedram concend  
Acmon, ingenium, acmotheton doctr  
Et dûbios casus, perplexaq; verba Sop  
Malleus & follis, resolutæ præmia lin  
Conventusq; frequens, Ustrina, parat  
His fultus, sancti describit Præsulis o  
Differit è cathedra docto quid EPIS  
Non vanum curat titulum. Speculator  
Sit pius & castus, liberalis, sordibus u  
Nescius; haudquaquam vapidò sub pe  
Gestans, quod summæ virtuti ducitu  
Dicere, non facere, & promittere mul  
Quid verus Præsul, summo præente N  
Ponis, & ad vitam revocas hæc jura  
Hæc sine quid Doctor, quid Episcopus  
Nil quicquam. Sanctos Sanctissima v  
His studijs pergas, nomen, famamq;  
Primaq; Suevorum dicēris gloria genti

Quâ Consalino  
de Episcopi

Christianus Wole  
Crempâ Ho  
&



re 1. Tim. 3.  
v. 2. 3. 4. 5.  
6. 7. tit. c.  
de Episc.  
& Cler.  
Nov. 123.

ster  
-  
stanti

IUS,  
Mag.  
us.  
Aliud